

majora, & vehementiora objici solent, commotus, atque perterritus tandem Cæsareanis accedat; id si contingat, ingentibus Venetam Rempublicam tempestatibus jactatum iri, omnem bellorum impetum, ac procellam in nos evasuram. A Rege itaque petere, ut quam maxima celeritate, & viribus possit, id si acciderit, amicæ Reipublicæ subveniat. Pontificis cum Prorege colloquia, & ad foedus ineundum cum Cæsareanis propensio effecerant, ut ingenti spe, summaque alacritate suscepta in Neapolitanum regnum expeditio paulatim non minimum pristini vigoris amitteret, cum militum animi ob rumores induciarum ardorem victoriæ reportandæ restinxissent, non pecunia exercitui submitteretur; inde quotidie copias imminui, classem otio torpere, militum paucitate nil aggredi, hostium antea labantes spiritus erigi, adventantemque olim victoriam e manibus eripi. Itaque concepta in hominum mentibus de foederatis opinio, atque expectatio cœpit labascere.

Altera ex parte in Gallia Cisalpina cum Germani milites, Frondispergio Duce, ad Casale majus trajecto Pado, Fidentiolam, agri Placentini oppidum, se contulissent, obsidionis metu Mediolano liberato, ulterius progredi, atque militum impetum in alias regiones avertere decretum est: agris præsertim Insubrum belli diuturnitate ad vastitatem reductis, Laude Pompeja amissa, Cremona a nostris occupata, ex quibus magna annonæ vis exercitui suppeditari poterat. Objecere sese primum Pontificiæ ditionis oppida, in quæ universa procellarum vis effundenda foret; quocirca ad Placentiam expugnandam animum adjecerant. Ea res cum Veneto imperatori, ac Salassiorum Duci innotuisset, statim valido in urbem præsidio militum immisso, mœnibus vallo, fossaque munitis, Carolus Borbonius, qui cum Hispanorum copiis, & machinis propius accesserat, cœptis desistere coactus fuit; cum vereretur, si urbis expugnandæ periculum faceret, exercitus, qui ad sex millia passuum inde castra habebat, opportunam nactus rei bene gerendæ occasionem ne prætermitteret. Spe itaque Placentiæ occupandæ dejectus, statuit Borbonius in Hetruriam aut per Flaminiam exercitum ducere, ut nobilissimarum urbium direptione, divitiis alta pace collectis egestati exercitus succurreret, ac militum prædæ, & rapinarum sitim expleret: inter-